

HUGONIS

ROTHOMAGENSIS ARCHIEPISCOPI

EPISTOLÆ.

I

Ad Ludovicum Francorum regem. — De mercato constituendo apud Gozengres.

(DUCHESNE, *Script. Eranc.*, IV, 638.)

Domino suo dilectissimo LUDOVICO, Dei gratia illustri regi Francorum, Hugo suus et Rothom. archiepiscopus, salutem, honorem et prosperitatem.

Manet in memoria nostra, quod rogavimus nobilitatem vestram de mercato constituendo apud Gozengres, et vestra regia magnificentia dixit inquirendum ne inde impedimentum oriretur vicinis mercatis de Vilcassino. Nunc autem ab inquirentibus nobis relatum est quod in die Lunæ fieri potest absque impedimento vicinitatis. Unde et hoc fieri a vestra nobilitate postulamus, si vobis placet. Conservet vobis Deus vitam et salutem per tempora longa.

II.

Ad eundem.

(*Ibid.*)

Domino suo charissimo LUDOVICO, Dei gratia illustri regi Francorum, Hugo suus et Rothom. archiepiscopus salutem, honorem et prosperitatem.

Novit Deus quod in omnibus synodis, ecclesiarum consecrationibus, conventibus, missis, memoriam vestri facimus in orationibus nostris. quoniam vos plurimum diligimus. Quoniam autem vobis placuit ut nobis significaretis ubi et quando debeamus ad vos venire, precamur ut usque in diem Mercurii nos expectetis. Det vobis Deus vitam per tempora longa. Amen.

III.

Ad eundem. — Pro libertate ecclesie S. Martini de Pontisara (Pontoise)

Domino suo charissimo LUDOVICO, Dei gratia illustri Francorum regi, Hugo suus et Rothomagensis archiepiscopus salutem, honorem et prosperitatem.

Abbas sancti Martini de Pontisara a principio sue foundationis post dominationis vestre principatum ad Rothomagensem Ecclesiam, et ad ejus archiepiscopum pertinet singulariter in abbatis electione, et consecratione, et in omni alio jure. Nunc autem monachi Cluniacenses, nescio qua nova adinventione, eam sibi in subjectionem vindicare nitun-

tur. Unde vestre regie sublimitati humiliter supplicamus, quatenus eandem ecclesiam, quæ vestra est, in sua libertate conservari præcipiatis, in ea videlicet qua nos tenuimus, et prædecessores nostri tempore vestro et vestrorum antecessorum. Conservet vobis Deus vitam et salutem per tempora longa.

IV-V.

Ad Sugerium abbatem S. Dyonisii.

(Exstant inter epistolas Sugerii, num. 403, 173, 174. *Patrologiæ* t. CLXXXVI, col. 1399, 1430, 1431.)

VI.

Ad Innocentium II pontificem Romanum. — De morte Henrici I Anglorum regis,

(Vide *Patrologiæ* t. CLXXIX, col. 670.)

VIII.

Ad eundem. — De gestis a se super ecclesia de Beciano.

(Vide *ibid.*, col. 665.)

IX.

Ad clerum et populum Romanensem. — De absolutione Guigonis Delphini.

(Anno 1132.)

[MARTEN. *Anecd.* I, 380, cx chartario Romanensi.]

HUGO, Dei gratia Rothomagensis Ecclesie servus, sedis apostolicæ legatus, venerabilibus clero et populo Romanensibus in perpetuum.

Ecclesiarum possessiones et privilegia quo studio servanda pariter et tuenda sanctorum Patrum mandat auctoritas. Litteris igitur presentibus notitiæ posterorum assignamus, quia Romanensem Ecclesiam sanctus Domini confessor Bernardus Viennensis archiepiscopus olim fundavit, eamque cum adjacenti sibi oppido, Romanis nuncupato, Romano pontifici possidendam, ab omni potestate laicali solutam ac liberam concessit, et ita privilegiis antiquis roborata, et multorum annorum curriculis inconcusse possessa, dies hodierna liquido representat. Cum enim, peccatis exigentibus, comes Guigo Delphinus, animo ferus, armis validus, exercituum gravi multitudine constipatus, præfatum Romanense oppidum violenter intrasset, et hostili crudelitate vastasset, nec tamen misericors Deus Romanensem

Ecclesiam dereliquit, quin ei libertatem pristinam conservaret, quam castigando percussit. Audiens autem B. Innocentius papa Romanus pontifex summus, Romanensem ecclesiam per comitem G. Delphinum atrociter devastatam, me licet minus idoneum a latere suo transmisit, pro his et hujusmodi excessibus corrigendis. Eapropter ad partes illas descendimus, et apostolica auctoritate convocavimus Stephanum Viennensem archiepiscopum, et episcopos, Humbertum Aniciensem, Eustachium Valentinum, Gocerannum Vivariensem, Hugonem, Gratianopolitanum, Ayrurdum Maurianensem, Pontium Tricastinum, Joannem abbatem Bonæ-Vallis, et quamplures authenticos et religiosos viros. Horum consilio et oratione præmuniti, comitem G. Delphinum, aspirante Domino, apostolicis jussionibus, nostrisque et coepiscoporum monitis, tandem humiliatum et acquiescentem suscepimus, pacemque pro peccatis suis et satisfactionem pro sacrilegio perpetrato promittentem absolvimus, etc.

X.

Ad Theodoricum Ambianensem episcopum. — De hominibus qui vice jumentorum trahebant carpenta ad ædificandas ecclesias,

(Opp. Guiberti Novigentini, append., p. 688.)

Reverendo Patri THEODORICO, Ambianensium episcopo. Hugo Rothomagensium sacerdos, prosperari semper in Christo.

Magna opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus! Apud Carnotum cœperant in humilitate quadrigas et carpenta trahere ad opus ecclesiæ construendæ. Eorum humilitas etiam miraculis coruscare, hæc fama celebris circumquaque pervenit. Nostram denique Normaniam excitavit. Nostrates igitur benedictione a nobis accepta, illuc usque profecti sunt, et vota sua persolverunt. Deinde forma simili ad matrem suam Ecclesiam in diœcesi nostra, per episcopatus nostros, venire cœperunt, sub tali proposito, quod nemo in eorum comitatu veniret, nisi prius data confessione, et pœnitentia suscepta; nisi deposita ira et malivolentia, qui prius inimici fuerant convenirent in concordiam, et pacem firmam: His præmissis: unus eorum princeps statuitur, cujus imperio in humilitate et silentio trabunt quadrigas suas humeris suis; et præsentant oblationem suam non sine disciplina et lacrymis.

Tria illa quæ præmisimus, confessionem videlicet cum pœnitentia, et concordia de omni malivolentia et humilitatem veniendi cum obedientia, requirimus ab eis cum ad nos veniunt, eosque pie recipimus, et absolvimus, et benedicimus si tria illa deferunt, dum sic informati in itinere veniunt, quandoque et in Ecclesiis nostris quam maxime miracula creberrima fiunt. De suis etiam quos secum deferunt infirmis, et reducunt sanos quos secum attulerunt invalidos. Et nos permittimus nostros ire extra episcopatus nostros, sed prohibemus

(25) De hac epistola vide *Notitiam litterarium* in Hugonem, supra col. 1123.

A eos ne intrent ad excommunicatos, vel interdictos.

Facta sunt hæc an. incarnati Verbi 1145. Benevale.

XI

Ad Alphonsum comitem Tolosanum (25).

Hugo Rothomagensis archiepiscopus, sedis apostolicæ legatus, ALPHONSO nobilissimo comiti Tolosæ duci Narbonæ, marchioni Provinciæ, quidquid boni tibi mandare possumus et debemus.

Quia Deus tam honore quam probitate tuam personam egregiam et sublimem constituit, decet omnimodis ut bene placeas ei, in cujus manu honor et probitas tua consistit. Scripsit namque nobis tua liberalitas, quatenus aut Lugduni, aut Viennæ, aut Valentia tibi occurramus; sed pro tua reverentia magis apud Valentiam tibi obviam veniemus. Nonis Martii, Domino ducente, pro tua petitione erimus Valentia. Speramus enim te plena fide sic velle prosequi sicut venerabili fratri nostro Tricasino episcopo promisisti, et nobis per litteras tuas id ipsum promittendo significasti. Festina reconciliari matri tuæ Ecclesiæ, ut crescas semper in honore, egregie princeps et domine. Vale.

XII

Ad Rainardum abbatem Cisterciensem. — Ecclesiam Mortuimaris Cisterciensibus concedit.

(*Neustria pia*, p. 772.)

Reverendo abbati RAINARDO, sacroque conventui, Cisterciensi, Hugo Rothomagensis sacerdos, salutem, gratiam et benedictionem.

Tempore nostro ædificatum est in parœchia nostra monasterium Mortuimaris, quod precibus regis Anglorum donavimus ordini vestro, per manum domni Gualeranni Ursicampi. Abbas vero, qui nunc præest monasterio Mortuimaris, Alexander nomine, fuit quidem monachus Willelmi abbatis de cœnobio Pinus. Sed idem Willelmus in præsentia Ecclesiæ nostræ tenens manum præfato Alexandro, manu sua, reddidit eum in manu nostra, nobis: quem ego postea dedi vestro ordini, sub manu prædicti abbatis Gualeranni. Orate pro me, patres et fratres mei, ut remittat peccata mea mihi, et misereatur mei Agnus Dei qui tollit peccata mundi. Amen (26).

XIII.

Ad Ademarum S. Tyberii abbatem.

(Anno 1134.)

[*Hist. de Languedoc*, tom. II, Preuv., p. 475-476.]

Hugo, Dei gratia Rothomagensis archiepiscopus, sedis apostolicæ legatus, dilecto ADEMARI abbati S. Tyberii suisque successoribus, in perpetuum.

Religiosis et Deo servientibus providere, eorumque possessiones et jura ecclesiastica conservare, omnibus qui in regimine positi sunt sanctorum Patrum mandat auctoritas. Eapropter causam illam super ecclesia de Beciano multo tempore ventilatam auctoritate apostolica suscepimus ter-

(26) Ex Roberto de Monte, De mutatione ordin. monachor. cap. 1.

minandam. Considentibus itaque nobiscum apud Montempessulanum venerabilibus archiepiscopis B. Arelatensi, A. Narbonensi sedis apostolicæ legatis, et episcopis Agathensi et G. Arausicensi, et P. abbate Sancti Ægidii, et aliis quam pluribus religiosis personis, tu ad diem in supradico loco tibi auctoritate apostolica et nostra præstitutam, paratus ad justitiam ante nos venisti; abbas vero Casæ-Dei, qui ad eandem diem et eundem locum auctoritate apostolica a nobis vocatus fuerat, nec ipse venit, nec pro se responsales misit, nec aliquam excusationem canonicam inibi præterdidit. Eo itaque sic deficiente, nos præcepti domini nostri papæ Innocentii justitiam exsequentes quærivimus ab Ecclesia Agathensi, in cujus parochia sita est ecclesia de Beciano, ut coram Deo et nobis omnibus ibidem consistentibus veraciter protestarentur ad quod jure canonico, vel tuum, vel Casæ-Dei monasterium pertineret præfata ista ecclesia de Beciano illi siquidem, quia vere prout antecessoribus acceperant, ad jus et possessionem Sancti Tyberii, cui monasterio, Deo auctore, præsidere, pertinere responderunt. Ad hanc tu, Ademare, protulisti instrumentum donationis factæ de ecclesia de Beciano ecclesiæ Sancti Tyberii, prædecessori tuo Deodato, quod instrumentum a Berengario bonæ memoriæ Agathensi episcopo factum, et annis Dominicæ incarnationis et testibus idoneis roboratum existit. Consequenter et tu produxisti quatuor testes, viros antiquos, asserentes se vidisse quia ecclesia Sancti Tyberii possedit quiete per multos annos ecclesiam de Beciano, antequam monachi de Casa-Dei intrassent in eam. Tunc illi canonice nominati juraverunt super Evangelia Dei hoc se vidisse, et hoc verum esse. Proderunt et alii quatuor testes qui dixerunt se interfuisse placito illi quod habitum est apud Corbrianum inter monachos Sancti Tyberii et monachos Casæ-Dei, in præsentia Aldeberti Agathensis episcopi, præsentibus A. Narbonensi archiepiscopo, et J. Nemausensi episcopo, dicentes se vidisse et audisse quosdam testes idoneos ibidem jurasse, quod Bernardus Agathensis episcopus, qui induxerat monachos Casæ-Dei in ecclesiam de Beciano, cum accepisset testimonia personarum authenticarum ecclesiæ suæ super donatione facta a Berengario antecessore suo, Deodato abbati et monasterio Sancti Tyberii de ecclesia de Beciano, ipse idem Bernardus coram Bertranno Narbonensi archiepiscopo in placito de eadem causa habito apud Cabrils, præsentibus monachis Casæ-Dei et Sancti Tyberii, quod prædicti Aldebertus Agathensis, et A. Narbonensis, et J. Nemausensis audientes sententiam restitutionis ipsius ratam esse et tenendam judicaverunt, et sicut præfati quatuor testes hoc se vidisse et audisse protestati sunt, ita nobis præsentibus examinati, super Evangelium Dei juraverunt hoc ipsum, A. Narbonensis archiepiscopus, et Ermen-galdus Agathensis archidiaconus, et R. sacrista,

A magister Dulcianus qui interfuit præfato placito de Corbiano, coram nobis se vidisse et audisse viva voce protestati sunt. Hi omnes qui hoc testimonium nobis perhibuerunt, eandem de præfata restitutione sententiam attestati sunt fuisse confirmatam apud Lupianum a supra nominato A. Agathensi et A. Narbonensi, et P. Lutevensi, et R. Magalonensi episcopi, et R. tunc archidiacono nunc episcopo Agatensi, præsentibus abbatibus de Casa-Dei et Sancti Tyberii. His omnibus de causis, et insuper admonitione et præcepto Guidonis diaconi cardinalis et apostolicæ sedis legati, præfatus R. Agathensis te et ecclesiam Sancti Tyberii de ecclesia de Beciano revestivit. Hanc rescissionem, eodem R. Agathensi episcopo attestante, sic factam, nos et nobiscum sic assidentes supra nominati archiepiscopi et apostolicæ sedis legati, et episcopi, et quam plures authentici et religiosi viri approbamus, et approbatam vice apostolica quam super hoc negotio gerimus, confirmamus, et pro canonica donatione a Berengario Agathensi episcopo facta, et legitima possessione subsecuta tibi tuisque successoribus et monasterio Sancti Tyberii cui præsidere, præfatum ecclesiam de Beciano cum decimis et omnibus jure ad eam pertinentibus, omni deinceps quæstione sopita perpetuo possidendam adjudicamus.

Actum est hoc anno Verbi incarnati 1134, apud Montempessulanum, universali papa Innocentio, rege Francorum Ludovico.

Ego Hugo Rothomagensis archiepiscopus et apostolicæ sedis legatus.

XIV.

Ad Eugenium III pontificem Romanum. — Ut Vizeliacense cænobium sub Romanæ sedis protectione suscipiat.

(Vide in Eugenio III, *Patrologiæ* t. CLXXX, inter variorum ad Eugenium epistolas.)

XV.

Ad universos fideles. — De cappa inconsutili.

(Anno 1156.)

[Dom GERBERON, *Hist. de la Robe sans couture*, p. 124.]

Universis catholicæ Ecclesiæ fratribus reverendiss. H. Rothomagensis Ecclesiæ humillimus sacerdos, salutem et gratiam divinæ propitiationis.

Ad omnium volumus notitiam pervenire quod nos supernæ pietatis instinctu apud Argentoilum convenientes, adjunctis humilitati nostræ multis authenticis, et reverendiss. personis archiepiscopo Senonensi, Theob. Par., Roberto Carnotensi, Aurelianensi, Retensi, Antissiodorensi, Catalaunensi, Ebroacensi, Meldensi, Silvanectensi episcopis, sanctis abbatibus quoque venerabili Od. abbati S. Dionysii, S. S. Germani, God. Latiniacensi, Ferrariensi, Fossatensi, S. Faronis, S. Maximini, S. Maglorii, Pontissarensi, Mariniacensi, aliis etiam quam pluribus. Cappam pueri Domini Jesu, quæ in ejusdem thesauris Ecclesiæ a temporibus antiquis

honore condigno reposita erat, ad fidelium salutem. A humiliter inspeximus, et palam eduximus, et veneratione solemniter debitam ejus magnificentiam reverentiam exhibentes illam desiderio et devotioni populorum studio pietatis obtulimus. Aderat ibidem supereminens et sublimis presentia illustris regis Francorum Ludovici cum proceribus et optimatibus palatinæ dignitatis, maxima consistente frequentia vulgi. Ob insigne igitur gratiæ cœlestis, illud videlicet indumentum quo sese humanata induere sapientia dignata fuit, et ob sanctissimam præscriptorum Patrum presentiam, Deo propitio, salubri dispositione decretum est, ut omnibus ibidem venientibus, supernæ miserationis gratiam poscentibus merces et fructus suæ devotionis in indulgentia veniæ compensetur. Quicumque igitur hoc presenti anno in loco prænominato in honorem B Dominicæ vestis propriam servitutem et devotionem obtulerint: nos omnibus illis de clementiæ cœlestis plenitudine confisi, si peccatis gravibus et maximis impliciti fuerint, unius anni pœnitentiam

relaxamus. Qui vero levibus, id est venialibus detinentur, medietatem pœnitentiæ remittimus. Oblita peccata modo simili condonamus. Annis vero singulis a festivitate sanctissimi Dionysii usque ad octavas ejusdem, loci ipsius et sacratissimæ vestis venerationem pie invisentibus XL dies suæ pœnitentiæ remittimus et indulgemus. De parvulis qui baptizati vel sine baptismi remedio infra VII annos per negligentiam paratum mortui sunt, totam pœnitentiam eorum remittimus, excepta feria VI in hebdomada, in qua etiam die, si ad Ecclesiam pœnitens perrexit, qualem ei charitatem presbyter dederit, talem habeat. Si vero infirmus fuerit aut mulier prægnans, vel debilis, quæ jejunare non possit, dicat septies, *Pater noster*, et opere pio bonum exerceat quod potuerit. Omnibus autem hæc et quæ justa sunt conservantibus, sit pax et salus Domini nostri Jesu Christi. Amen.

Actum est anno Verbi incarnati 1156, felicis memoriæ Adriano papa IV feliciter.

HUGONIS

ARCHIEPISCOPI ROTHOMAGENSIS

DIALOGORUM

SEU

QUÆSTIONUM THEOLOGICARUM

LIBRI SEPTEM

(MARTEN., *Thesaurus Anecd.*, V, 891, ex duobus mss., uno Colbertino, altero Rothomagensi domini Grebovaldi).

ADMONITIO PRÆVIA.

Hugonis archiepiscopi Rothomagensis Dialogorum libros habui beneficio cl. viri Stephani Baluzii, qui ex manuscripto Colbertino 122, propria manu descriptos, atque editioni jam paratos sponte mihi obtulit. Hos, ut accepi, statim cum veteri codice cl. viri domini Grebovaldi ecclesiæ parochialis Sancti Petri apud Rothomagum rectoris dignissimi contuli, qui codex ante annos quingentos exaratus ad auctoris ipsius ætatem accedere videtur. Ex utriusque autem codicis collatione nonnulla animadverti, quæ hic adnotare juvat. Primo in codice Colbertino desideratur integer liber septimus, desiderantur et in fine libri tertii et initio quarti folia septem. Secundo plurima passim addita sunt in Grebovaldino manuscripto, quæ desunt in Colbertino. Tertio non eadem est in utroque librorum distributio. Quarto nec promissalis ad Matthæum epistola in utroque eodem modo incipit. Nam in Colbertino sic se habet: Incipit epistola Hugonis Radingensis abbatis: In Grebovaldino vero ita: Incipit epistola Hugonis Rothomagensis archiepiscopi ad Matthæum Albanensem episcopum. Sed neque idem est in utroque ejusdem epistolæ finis. Quippe in Colbertino est hujusmodi: nos enim una generis consanguinitas, et ejusdem professionis in Christo junxit societas, quos Laudunense solum educavit et docuit. Sed te patria tenuit, me obedientia exulem in Anglia fecit. Te Parisius apud Sanctum Martinum lætatur habere priorem, me Radingia indignum servat abbatem, Matthæe fratre. In Grebovaldino vero ita: Nos enim una generis consanguinitas, et ejusdem professionis in Christo junxit societas, quos Francia genuit, quos Laudunense solum educavit et docuit, quos veste Christi Cluniacus